Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ferrea virtus. Cuius bene gesta commendare hoc uno sufficiat. Que ecclesiam in honore sancte Marie perpetue virginis cum viro in curte propria statuens. dimidio ferme miliario nudipes ad eam propriis humeris lapides ferre solebat. Huius nimirum actis iam nobilitatem illam seculi abdicasse totam videbatur. non quod summa ingenuitas in servitute redacta comprobatur. Trahebat ibi cum pedissequis suis mulierum utriusque conditionis turbam non parvam saxa portantium. ad imaginem et similitudinem suam fecerat ceteras. Ita se natura habet. iuxta formam maiorum minores se gerunt. Cernere erat longius protractum unius imitatione femininum genus melioratum. Suum hoc opus fecit matrona.

Hinc meruit filium [ ] de quo nunc agitur digna dignum. qui optimam puericiam [ ] ornatus disciplinis scolaribus consectus est. et in babinbergensi ecclesia liberalibus rudimentis traditur imbuendus. Vir docilis attentus et benivolus auditor gratuitum magisterium philosophie impenditur. tribus extra partibus nactus. physica. ethica. loyca ostenditur. Hic itaque evo tener interim genus sui nobilitatem morum virtute transcendit. ut iam non puer sed senex non levis ut in tali etate assolet. sed morum gravitate sanus diceretur et canus. Et si aliquando carnalibus deliciis est temptatus. dei mediante gratia non est abstractus neque illectus. In his autem artibus et suis speciebus nulli parimodum facile inveniebatur secundus. Successit deinde felix adolescentia. vero pittagorice littere proportio a stipite indiscrete puericie certam etatem ut dextro ramo ad beatam vitam convertit. et levo ramo qui et declivior ad terrena et declivia flectit. Hinc quia dignus conspicitur. canonicam prebendam in episcopali eadem sede sortitur. Ibi vero honestissimus iuvenis in dextro ramo Marie optimam partem elegit. et clam proposito quo tutorum cateruis fuerat ad monasterium sancti Michahelis convolans. monachilem habitum petiit et accepit. Regnum celorum etiam iuvenes diripiunt. Maior pars ad malum proni sunt ab adolescentia sua. sed Eberhardus regno celorum vim fecit et vi passus est. Quod ut prepositus agnovit. admonitu eius campane omni sonu dissone consonant. procedit ipse prepositus semetipsum cum universo choro templi ad monasterium. fratrem reddi imperant magis quam rogant. eripiunt magis quam recipiunt. Qui autem vero chorum clericalem monastice tonsuris non decuit. suspectibus datis infanciam cum magistro suo directus est. Ubi in tantum profecit quod etiam seniores suos sensu crescente subegit. O quam felix exivit. sed multo felicior rediit. immo quia future felicitatis sue signum iam reversus videre meruit. et aliis premonstravit. Cum etenim quadam die post reversionem parentibus suis in domo consedit. gallina adveniens sub vestimento ipsius ovum magnum posuit. quasi quod in ipso sperari posset. proprio declarans exeundo ut assolet vociferavit. Crastina quoque die in conspectu omnium indumento ipsius

ovum. sed priore grossius. in quo bis facto. quod primo abbas et postea episcopi vice fungeretur. ut credi potest significavit. Verumtamen semper monasticum propositum in animo affectans. iuxta illud poete. naturam expelles furca tamen usque recurret. animum adolescentis cum esset natura optimum a proposito desuescere non potuit. donec factus quadragenarius episcopi sui Ottonis et fratrum conventu monasterium subiit. et directus est spiritus domini in eum a die illa et deinceps. ut in omni religione fieret novissimus primus. Corpus suum ieiuniis macerat. orationibus protractis invigilat. divinis officiis totus inhiat. non murmure superfluus. sed potius cum [ ] paupere et pauper esse desudat. Preposita cui imprimeretur erat abbas suus Erbo. quem laudare satis non audeo. altum pene Iohannem vel Heliam estimando nescimus. Fide temporis germanos suos [seculares genere] statu rebus eque spectabiles. cum quibusdam propinquis suis spiritus invasit. in proprio fundo monasterium monachorum de suis hereditariis rebus construere. Delegatur in id operis absque mora Biburgensis locus. mundiburdio memorati reverentissimi episcopi. quo validiores effectum. effectus firmitatem haberet. Destinatur eo dignissimus abbas Eberhardus. tamen nolens ut consecrationem quinque annis refutaret. Sola autem cogitatio inheserat. genus monachorum et monachorum ordinem creare. edificia accelerare. moxque in heremum sive cenobium semet privatum deponere. Numquam sibi satisfacit humilitas. nec voto saciatur virtus. sicut nec vicium. Post quinquennium cum episcopo suo Babenbergense Romam trahebatur. erat enim cui nil deerat quod idoneum et clarum ad curiam. Affuit in illo ipso comitatu serenissimus Eberhardus tunc prepositus. post paulum vero in eadem Babenbergensi ecclesia successor creatus. Hic Eberhardi nostri fidissimus semper et unum par fuit. Qui diligit iustum in nomine iusti non perdet mercedem. Huic pergenti negocium biburgenses de consecratione abbatis iniungunt magnopere. Pollicetur operam suam nec minus exequitur donec ipse presul apostolicus Innocentius investivit abbatem et consecravit dicens. Confortare et esto robustus. in omnibus tecum sum.

Alio tempore Romam cum pergeret appenninum montem accessit. cuius altissimo dorso. artissimo tramite. vix transitus panditur. Ibi sub ipsis radicibus mulierculam conspicatur miseram inopia. plusquam miseram egritudine. que montem transmittere volens voluntate et difficultate cruciabatur. Vidit intuitus abbas moribundam. fratremque comitantem appellat dicens. Quid faciemus pauperi isti. ne in novissimo veniens suggillet nos. At ille idiota utpote ydiota minus urgebatur et dixit. Nichil mulieribus et nobis in tali articulo. Sed vir philerpice runcino suo impositam innitens ipse manu retrorsum caude equi transvexit. Felix qui diligit proximum plus quam se ipsum. Cumque transduxisset omnis pietate adhuc urebatur.